



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

VIII. Vtrùm excitans gratia per seipsam, & natura sua determinet saltem
moraliter voluntatem, ideoq[ue], talis efficacia auxiliij excita[n]tis ad actus
liberos & sanctos voluntatis necessaria sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

dicam, suspendere: vnde suppositis illis principiis, illa non esset determinatio ab intrinseco, sed necessitas quædam quoad exercitum contraria libertati. Quæ, consequenter loquendo, non minus fieret per quilibet propositionem vnius obiecti boni cum ablatione concursus ad suspendendum actum nolendi. Respondetur verò secundo ex illa hypothese solum sequi necessitatem quoad specificationem, non verò quoad exercitum, quia falsa est illa sententia quæ dicit propositio obiecti non posse voluntatem suspendere omnem actum, sed necessaria ad aliquem in cõfuso, quia non est maior ratio de tota collectione actuum, quam de singulis: vnde licet Deus negaret concursu ad alios positivos actus in prædicto casu, non necessitaretur, vel determinaretur voluntas ad eliciendum consensum, quia illum potest suspendere virtute suæ libertatis, quæ non immutatur propter impotentiam eliciendi alios actus, quæ sequitur ex hypothese negationis, seu carentia concursus.

Nihilominus verò dico posse Deum de potentia absoluta ut excitatione ut instrumento ad determinandum voluntatem. Probat, quia sicut potest uti aliis rebus, vel motionibus ut instrumentis physicis ad efficiendum aliquid supra naturam illorum, ita potest uti illa excitatione ad efficiendum in voluntate actum consentiendi tanta vi & efficacia (ut voluntas non possit illi resistere: si autem hoc faciat, Deus determinabit physicè voluntatem per illam motionem: hac autem prædeterminatione voluntatis reuera esset quædam absoluta necessitas voluntatis, ut in sequentibus probabo. nam eadem est ratio de hac determinatione facta per hoc instrumentum, vel per quamlibet aliam motionem, ut per se notum videtur. Quocirca sicut supra prolegom. 2. diximus, posse Deum necessitate voluntatem, ita nunc dicimus posse id facere miraculose per illam excitationem & hanc vocamus determinationem. Verum tamen, sicut ibi diximus non posse voluntatem hominis necessitari per solam voluntatem extrinsecam Dei, nisi extrinseca actio, vel mutatio in ipsa voluntate sit maior, vel alterius rationis, ita nunc dicimus per excitationem non posse voluntatem hominis necessitari, nisi eleuetur ad nouum modum agendi, alioqui vel non fiet talis determinatio in voluntate, vel non fiet per excitationem, sed ad præsentiam eius Deus per se ipsum, vel per aliud principium illam faciet.

Ad rationem dubitandi negatur consequentia: nam est verum sit vocationem ipsam seu excitationem esse efficacem, nihilominus quando talis est, non habet illam efficaciam ex intrinseca determinatione, quam ad efficiendum consensum habeat, sed solum quia ita datur ut infallibiliter illi efficiat, quæ infallibilitas non oritur ex sola natura, seu entitate talis actionis: quomodo autem illi conueniat, discursu sequentium capitulum explicandum est, nam hoc in omni sententia locum habet, ut videbimus.

CAPVT VIII.

Utrum excitans gratia per se ipsam, & natura sua determinet saltem moraliter voluntatem, ideoque talis efficacia auxilij excitantis ad actus liberos & sanctos voluntatis necessaria sit.

Partem affirmatam huius questionis insinuante multi ex auctoribus allegandis capite sequenti, expresse tradunt illam Aluar. disp. 3. concl. 1. & Ledesma dicta q. art. 1. conclus. 1. & generaliter eam attribuit suis Theologis, signatim veri allegat Ioannem Vincentinum, qui putat illam certius.

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

nam in Theologia. Tribuit etiam Driedon lib. de Concord. p. 2. c. 3. sed ibi nihil de prædeterminatione morali docet, sed solum de necessitate præuæ motionis per gratiam excitantem tractat, quæ longè diuersa est, ut infra dicam. Deinde Ledesma ad suam sententiæ probationem in primis allegat & inducit ea, quæ in principio questionis pro conclus. 3. id est pro determinatione generatim attulerat, illa enim ait, ad minus de morali prædeterminatione conuincere. Ibi autem adduxerat locutiones Scripturæ, quibus dicitur Deus vel inclinare corda hominum, vel immutare illa, vel attrahere, vel facere ut velint, & faciant & offerre cor lapideum, & dare cor carneum. Item illa in quibus dicitur Deus causa nostrorum actuum, & incipere ac perficere nostrum velle, nam est causa, inquit, per suum auxilium; ergo illud debet esse præuium, antecedens & efficaciter prædeterminans, &c. Ac denique illa, in quibus soli Deo tribuitur salus hominis, ut illud, non est volentis, &c. & ad hunc modum inducit loca similia Patrum & Conciliorum, quæ nunc superuacaneum est referre, quia nec peculiarem vim habent, & in sequentibus repetenda sunt.

Postea verò eadem testimonia inducit per rationes Theologicas, & obiter ponit duo principia notata digna, in quibus inductio nititur. Vnum est, illa omnia quæ Scriptura docet, non posse fieri per gratiam sufficientem, nam hæc solum dat virtutem & potestatem: quæ autem Scriptura docet, significant actualem efficientiam Dei in nostros actus. Secundum principium est, eum, qui habet auxilium sufficiens, non habere actualem inclinationem ad opera supernaturalia, sed tantum habitualement: nam illud auxilium habet rationem virtutis & potentie, Scriptura autem loquitur de inclinatione actuali, dum dicit, Deum inclinare cor nostrum, & similia. Reliqua quæ in discursu octo rationum dicit, nihil habet peculiare de prædeterminatione morali, & ideo illas nunc prætermitto. In altero verò loco applicat priores rationes, supposito generali fundamento quod sit necessaria diuina prædeterminatio, inferendo illam debere esse necessariam moralem. Primo, quia Deus debet præmouere, & prædeterminare voluntatem iuxta illius naturam: voluntas autem est moraliter operans, & ideo natura sua postulat moralem inductionem per mentis illustrationes, & pias affectiones antequam physicè prædeterminetur; secundo & ferè in idem redit, quia prædeterminatio physica debet fieri tali modo, ut non tollat libertatem: ad hoc autem necesse est, ut præcedat prædeterminatio moralis; ergo est æquè necessaria. Probat minor, quia ut prædeterminatio physica non tollat libertatem, necessarium est, ut fiat iuxta naturam ipsius voluntatis: hoc autem non haberet nisi præcederet prædeterminatio moralis; ergo. Tertiò voluntas efficit suum actum & physicè & moraliter: ergo utroque modo debet prædeterminari à Deo, hoc enim necessarium est, ut omnibus modis verum sit Deum operari in nobis opera nostra, & facere, ut faciamus illa.

Priusquam sententiam meam proferam, duo in superioribus animaduersa in memoriam reuocare necesse est: Primo cauendam esse æquiuocam translationem à verbo præmouendi ad verbum prædeterminandi, & è conuerso, ac si essent æquipollentia, cum verba præuera sint longè diuersa. nam præmouere latius mouendi patet, quam prædeterminare, & prædeterminatio & prædeterminatio includit præmotionem, & addit aliquid, nimirum quod motio talis sit, ut aliquo modo infallibili inducat voluntatem ad consensum, faciendo illam velle; vnde ferè ita se habent præmotio, & prædeterminatio, sicut gratia præuia sufficiens & efficax, nam sufficiens præmouet, sed non requirit illam connexionem cum effectu; efficax verò &

præmouet, & habet illam connexionem cum effectu, & inde dicitur efficax. Vnde si habeat illam connexionem vi sua, & in actu primo, dicitur etiam prædeterminare. In præfenti ergo non mouetur quæstio de præmotione, plus enim quam certum esse supponimus, & præmotionem gratia esse necessariam ad singula opera pietatis, & primum omnium esse necessariam præmotionem moralem, quam facit gratia excitans per se, & per vim supernaturalem sibi connaturalem, & innatam, vt latissimè in lib. 2. & 3. declaratum, & probatum est; quod ergo inquiritur est, vtrum necessarium sit hanc gratiam excitantem in tali gradu, modo, vel entitate dari, vt non solum præmoueat, sed etiam vi sua intrinseca prædeterminet voluntatem, ita illam præmouendo, vt in actu primo illam prædeterminet, saltem morali modo.

Secundò aduerto prædeterminationem moralem duplicem cogitari posse, vna est quæ solum dicatur moralis, quia fit per causalitatem, seu motionem moralem; in reliquo verò tam infallibiliter inferat effectum, quæ prædeterminatio quæ physica dicitur, ita vt omnino repugnet, & contradictione implicet poni in voluntate talem motionem moralem præuiam, & nõ sequi cõsensum, seu simul poni motionem illam cum carentia cõsensu. Altera prædeterminatio dici potest moralis, quia non solum in modo causalitatis, sed etiã in gradu certitudinis. (vt sic dicam), quoad obtinendũ cõsensum moralis dicitur, quia nõ est tam necessaria, vel infallibilis connexio vt intrinsece repugnet, vel contradictione implicet separari talem præmotionem moralem ab effectu, seu cum negatione illius componi, licet moraliter, & humano modo procedendo id non contingat.

Dico primò ex vi gratia excitantis quantumcumque abundantis & perfectæ in suo genere, & perfecte ex sola sua virtute, & causalitate spectata, nunquam potest voluntas ita prædeterminari ad actum consentiendi tali excitationi absolute & simpliciter, vt repugnet illam excitationi resistere. Hanc assertionem posui in lib. 3. de auxiliis, & mihi illam probant omnia adducta in præcedenti capite: nam siue talis prædeterminatio vocetur physica, siue moralis, siue absolute & simpliciter talis sit, vt in voluntate non maneat potestas illi resistendi, procedunt omnes rationes ibi adductæ. Primo, quia Concilia sine limitatione docent posita excitatione posse hominem dissentire si velit: cui vniversali distinctioni non possumus authoritate nostra exceptione, vel limitationem addere. Et ad hoc confirmandum valent plurimum quæ de vocatione Pauli disserit Chrysostomus in tom. 3. homil. de ferendis reprehensionibus, & vocat. Pauli: nam si quæ excitatio posset prædeterminare illo modo voluntatem, maximè certè vocatio Pauli: negat autem Chrysostomus illo in loco voluntatẽ Pauli fuisse ita determinatam per illam vocatione, vt illa posita, aliud velle non posset, nam licet non vtatur verbo prædeterminandi, sed verbo necessitatis, aut coactionis, re tamen vera eundem sensum intendit, ed enim tendunt omnia exempla & comparationes, quas adducit in commendationem liberi, & plenè voluntarij consensus Pauli, & omnia inutilia essent, & nullius momenti, nisi in eo sensu loqueretur, quod non latius pondero, vt prolixitatem vitæ, maximè cum in sequentibus multa similia expendenda sint: rogo autem studiosum Theologum, vt locum illum attentè legat & contideret.

Secundò probatur assertio discursu facto in præcedenti capite; quia in motu excitante per se spectato nihil est habens vim determinandi voluntatem simpliciter, & per causalitatem physicam,

ergo multo minus per causalitatem moralem, quæ ex suo genere minus potens est ad prædeterminationem in actu primo voluntatem, quia tota motus gratia excitantis est, vel ex parte obiecti, vel per quandam sympathiam potentiariarum animæ, vel actuum eius: in neutro autem horum inuenitur infallibilis connexio ex vi talium actuum, vt ibi probatum est. Vnde si aliquando vel intellectus determinat voluntatem, vel vnus actus voluntatis determinat ad alium, non est propter solam moralitatem, sed propter physicam causalitatem, vel quia voluntas ex se habet talem determinationem ad tale obiectum, si sufficienter proponatur. Ita videre licet in visione diuinæ essentia, quæ determinat voluntatem ad exercitium amoris Dei. Nam licet, vel verius sit, nec visionem, nec essentiam visam, vt obiectum amabile est per physicam efficientiam mouere voluntatem, nihilominus vel ipsa motus obiectiua & finalis quatenus in suo genere causalitas physica est, habet illam vim propter eminentiam obiecti, vel, (quod facilius intelligitur,) ipsa voluntas naturæ suæ est determinata ad summum bonum, & per charitatis habitum cum eadem determinatione eleuatur, & ideo talis prædeterminatio physica est sicut etiam prædeterminatio quoad specificationem ad habitudinem in communi sufficienter agitatam, ac propositam physica est, prouenit enim ab intrinseco ex ipsa natura voluntatis. At verò quando voluntas per actum intentionis absolutæ finis determinatur simpliciter ad electionem medijs necessarijs, illa etiam prædeterminatio alia ratione physica est, quia inter illos actus est connexio omnino necessaria, vt probabilius creditur, fundata in physica efficientia actus intentionis circa actum electionis quæ efficientia ibi est quæ est determinata ad vnum ex natura talis actus, & fortassis etiam ex natura ipsius potentia, ab intrinseco determinatur ad volendum obiectum quod sub ratione boni necessarij proponitur: tale autem repræsentatur vnicum medium supposita absoluta finis intentione. Itaque in voluntationis nunquam potest esse ex vi obiecti, vel praxij actus, aut excitationis absoluta prædeterminatio moralis in eo gradu infallibilis, ac necessaria connexionis, quin ibi intercedat prædeterminatio physica: ostensum est autem per solam excitantem gratiam non posse voluntatem physicè prædeterminari; ergo nec moraliter potest in eo gradu.

Atque hinc vrget etiam in præfenti altera ratio tacta in capite præcedenti, quia tanta prædeterminatio moralis necessariò includeret necessitatem simpliciter libertati actus contrariam, sed non obstante quacunque gratia excitante actus voluntatis est liber, vt supponimus; ergo per talem gratiam non prædeterminatur moraliter voluntas in illo gradu. Maior patet ex declaratione facta, quia vbicunque intercedit determinatio prouenit ab intrinseco ex interna determinatione potentia ad tale obiectum: determinatio autem ab intrinseco inducit necessitatem contrariam libertati sine controuersia, & ita est in amore Dei clarè visi, & suo modo in affectu beatitudinis in communi, & in consuetudine electionis necessaria: ex efficaci finis intentione. Nam si quæ manet ibi libertas, est in perseuerando in intentione, ac si intentio esset omnino præueniens ac necessaria in determinatione ad electionem absolutam necessitas esset, quia in intrinseco, vt declarauimus. Cum ergo gratia excitans quæ datur viatoribus, non ponat aliquid in homine quod ab intrinseco dererminet quo ad exercitium voluntatem eius; quia nec ex parte obiecti ita determinat, nec ex connexione actuum, vt satis declarauimus, sequitur, ex se non posse simpliciter,

citer, & cum connexionem omnino infallibili ex vitalis motionis prædeterminare voluntatem.

Dices assertionem hanc repugnare dictis in c. 6. ibi enim diximus excitationem posse esse auxilium præueniens simpliciter efficax: auxiliū autem simpliciter efficax effectum inferre omnino infallibiliter, quo modo ergo nunc negamus posse solam gratiam excitantē hoc modo prædeterminare voluntatem? Item aliqua gratia excitans dari potest ex voluntate Dei absoluta intendētis hominis conuersionem; ergo talis excitatio prædeterminabit simpliciter voluntatem, saltem moraliter, quia, ut dicit D. Thom. si de intentione Dei mouentis est, ut homo conuertatur, infallibiliter conuertetur: nam voluntati eius quis resistit? ergo. Respondeo ad priorem partem, dictum quidem esse aliquam excitationem, seu vocationem esse efficacem, non est tamen dictum aliquam vocationem esse prædeterminantem: hæc enim duo sunt diuersa, ut capite præcedenti dixi, & in sequentibus latē ostendā, & ideo potest esse vocatio efficax, & non prædeterminans simpliciter siue physicē, siue moraliter. Item dictum est c. 6. vocationem aliquam esse efficacem, sed non est dictum de se, & ex vi suæ entitatis, & obiecti, & ideo ex hac etiam parte non est præterea doctrina superiori contraria. Vnde ad alteram partem respondetur in primis etiam si consequentia admittatur, non esse contradictoria, quia in eo casu solum sequitur excitantem gratiam prædeterminare voluntatem, & adiuncta voluntati Dei, non ex vi sui excitacionis, ac subinde tunc Deum per talem voluntatē aliquid adiuuatis adiungere vitæ totam causalitatem connaturalem tali gratiæ excitanti, siue vtendo illa, ut in instrumento, siue ad præsentiam eius immediatē operando efficacius, quod siue sit verum, siue falsum, non est contra assertionē. Secundo verò respondetur negando consequentiam, quia, ut dixi, aliud est infallibiliter facere, aliud prædeterminare, & ex illa voluntate, seu intentione Dei absoluta solum sequitur quod illa excitatio infallibiliter consequetur effectum, non verò quod prædeterminet, quia primum sufficit vt voluntati Dei nemo resistat, quia Deus non intendit per illam voluntatem suam, vt nostra voluntas prædeterminetur, sed vt conuertatur.

Dico secundò. Excitans gratia talis ac tanta esse potest, vt ex se prædeterminet moraliter voluntatem, cum morali scilicet connexionē, & consecutionē, quæ licet physicē deficere possit, vel nunquam, vel rarissimè deficit. Hanc assertionē damus priori sententiæ, & illam posui in lib. 3. de auxiliis c. 10. probatque potest facili, quia quidquid non repugnat fieri per excitantē gratiam, potest Deus facere per illam, dando nimirum excitationem accommodatam ex natura sua ad talem effectum, sed voluntatem nostrā prædeterminari moraliter per excitationem præuiam, non inuoluit illam repugnantiam; ergo melius & maximè poterit id fieri per excitaciones gratiæ. Minor probatur, quia id repugnat libertati actus; ergo non est vnde aliàs repugnet: neque enim aliud principium repugnantia in hac materia excogitatur, neque arbitror excogitari posse. Antecedēs probatur, quia hæc moralis prædeterminatio, vt à nobis explicata est, nec inducit absolutam necessitatem, nec tollit potentiam resistendi etiam in sensu composito, id est, potentiam componendi dissensum cum tali excitatione, ergo non repugnat libertati. Secundo probatur eadē minor inductione, quia multa facimus, & omittimus liberè, ad quæ sumus illo morali modo prædeterminati: nam in his, ad quæ magna consuetudine, vel inclinatione ducimur quando occatio magna offertur, & attentè cogitatur, & sine peculiari difficultate proponitur, quandam

Et Suarez de Gratia Pars I. l.

moralement prædeterminationem experimur, & ita illa operamur, vt vix possimus, moraliter loquendo, aliud facere, & ita communiter de his dicimus non posse nos aliud facere, quæ impotentia interdum ita est, vt vix aliud vnquam velimus, quāuis reuera possimus. Item hoc probant exempla mirabilium conuersionum; quas Deus per suam gratiā facit ex magnis peccatoribus magnos Sanctos subitò efficiendo: nam, vt id faciat fortiter & suauiter, prout decet prouidentiam Dei, per huiusmodi fortem excitationem fieri dubium non est, pro vt de vocatione Pauli sentit Augustinus lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 5.

Hanc etiam partem confirmaui in dicto libro de auxiliis exemplo grauissimæ tentationis hominis, quæ moraliter determinat liberum arbitriū, si gratia desit. quod exemplum aliqui reprehendunt, illudque adeo finistrè interpretati sunt, vt mihi obiecerint, quod asseruerim non habere Deum maiorem virtutem ad prædeterminandam voluntatem ad bonum, quàm dæmonem ad malum. Respondeo. Responso. mus autem in primis exemplum illud & modū explicandi hanc causalitatem moralem sumptum esse à nobis ex Patribus, primum ex August. lib. de grat. & lib. arb. c. 21. cuius hæc sunt verba vltima. Si tamen potense sit, (scilicet Deus) siue per Angelos bonos, vel malos, siue quocunque alio modo, operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adamo, aut creuit per propriam voluntatem, quid mirum est si per Spiritum sanctum operatus in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est vt corda ipsa essent ex malis bona. Ecce vtitur Augustinus eodem argumentandi modo. Et vt argumentum sit efficax, necesse est vt sit vniuocus sermo, (vt sic dicam,) de modo operandi in cordibus hominum, vt de genere moralis illatio fiat, quia per Angelos bonos, vel malos non aliter voluntas nostra mouetur.

Secundò vsus est illa comparatione Hieronym. lib. 2. contra Iovinianum, non longè à principio. Hieron. eumque refert D. Thom. 1. 2. q. 80. art. 1. argum. 2. Thom. & q. 3. de Malo art. 3. arg. 1. 4. verba Hieronymi sunt, Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur, alioqui vbi necessitas est, nec coronæ nec damnatio est. Sicut in bonis operibus perfectio est Deus, non enim est volentis, neque currentis, sed miserentis & adiuuantis est Dei, vt peruenire valeamus ad calcem, sic in malis atque peccatis semina nostra sunt incentiua & perfectio Diaboli. quæ verba ita exponit D. Thomas, vt pro nobis etiam respondeat: obiecerat enim ex verbis Hieronymi sequi tam verè & propriè esse Dæmonem causam mali, sicut est Deus causa boni. Respondet autem, Quod similitudo illa non tenet quantum ad omnia: nam Deus est author bonorum nostrorum operum, & sicut exterius persuadens, & sicut interius mouens: Diabolus autem non est causa peccati, nisi vt exterius persuadens, vt ostensum est. Vt ergo illa cōparatio, seu argumētatio cōueniēter fiat, nō oportet vt sit equalitas in modo in quo Deus & dæmon suadēt, sed satis est quod sit aliqua similitudo in hoc quod vterque suadet. Sicut ergo falsò imponeretur Hieronymo quod dixerit, non aliter Deum esse causam boni, quàm dæmon sit causa mali, ita & nobis immeritò attribuitur.

Tertiò idem D. Thomas lect. 5. in Ioannem, vt Idem D. explicet trahendi modū Patris ad Filium, quē dicit Thom. esse congruum, quia trahit releuando & docendo, alia comparatione æquivalente, vel etiam inferiori vtitur. nam aliquis homo, (inquit,) trahit aliquem suadendo ratione, & hoc modo Pater trahit homines ad Filium, demonstrando eum esse Filium suum, vel per internam inspirationem, vel per miraculorum operationem, &c. Et infra vtitur exemplo Augustini de obiecto delectabili, quod appetitum attrahit, iuxta illud.

Trahit sua quemque voluptas.

Sicut ergo ex his comparationibus non licet inferre, Deum non aliter trahere, quàm homo, vel obiectum extrinsecum trahat, ita, neque ex altera comparatione inferri potest.

13. Præterea inter modernos auctores vsus est prior
Soto. comparatione Script. lib. 1. de natur. & grat. c. 16. dicens, quòd autem Deus aliquo modo illuminet, inspiret, & tangat corda nostra, patet similitudine tentationis ad malum, & ad hoc inducit sequentia verba Augustini: Facendum est ex superioribus, & inferioribus visis animum tangi, ut rationalis substantia sumat ex utroque quod voluerit, & ex merito sumendi vel miseria vel beatitas subsequatur. Vbi est etiam obiter aduertendum, interdum uti Augustinum voce inspirationis ad explicandam demonis suggestionem; sic enim ait 4. de Trinit. cap. 12. Diabolus sue societati malignos affectus inspirat, quem interpretans D. Thomas q. 3. de Malo art. 3. ad 2. ait, Dicendum quòd Diabolus inspirat homini affectum malignum per modum persuadentis. Ex quibus non licet inferre æqualitatem in modo vel efficacia inspirationis. Denique Bellarminus lib. 4. de grat. & liber. arbitr. cap. 22. ex efficacia humanæ eloquentiæ ad flectendam voluntatem alterius hominis sumit argumentum ad declarandam efficaciam internæ suasionis ad inclinandam voluntatem hominis quo ipse voluerit.

Aduertendum. Igitur nostra argumentandi ratio nec noua est, aut perigrina, nec in ea indicatur Deum non aliter mouere quàm demonem. Neque enim hoc ad argumenti efficaciam, vel conuenientiam necessariū est, quin potius quanto excellentiori, & multiplici ac vario modo poterit Deus mouere hominis voluntatem, quàm Demon, tantum erit argumentum efficacius, nam à minori, seu à fortiori sumptum est. Si enim demon per solam exteriorem suasionem tantam habet vim, quomodo non habebit Deus maiorem & maximam, cum & exteriū, & interiorius perfectiori modo persuadere possit. Quem sensum in dicto cap. 10. sic concludendo expressimus. Ergo multo magis potest Deus sua excitante gratia ita illuminare hominem, & affectum eius inclinare, & acendere, ut moraliter eum ad consentiendum trahat ac determinet. Et in cap. 14. ex eodem antecedenti ita infertur. Multo ergo excellentiori modo potest Deus accommodare homini vocationem congruam. Non ergo sit argumentum ab æquali, sed ab inferiori, vel, ut expressè dicitur in d. cap. 14. num. 16. sit argumentum à fortiori, quia (ut ibidem subditur,) multo est potentior diuina gratia, & plures modos nouit Deus inclinandi & trahendi voluntatem.

14. Denique eodem lib. 3. de auxiliis cap. 11. explicando verbum trahendi, Ioan. 16. de morali tractione & persuasionē, quæ est explicatio Augustini, & D. Thomæ ibidem, illam declarauit per aliud testimonium Apocalyp. 12. vbi demon dicitur trahere, quod etiam de tractione per suasionem declarauit Thomas Angelicus, sed Anglicus ibi, & D. Thomas dicta q. 3. de Malo art. 3. ad 2. respondendo ad quædam verba Bedæ, dicentis quòd Diabolus trahit animam in affectum malitiæ: unde non licet inferre tractionem, vel persuasionem esse omnino eiusdem modi, sed solum conuenire in generali ratione suasionis moralis, nam ibi etiam habet locum argumentum à minori. Nam si persuasio demonis, cum sit multo inferior, tractio vocari potest, multo magis persuasio Dei, quæ longè excellentior, & magis interior est, nam Deus multo altius & excellentius potest illuminare intellectum quàm Demon possit decipere, nec solum per sensum, sed etiam per se ipsam potest interiorius docere & dirigere intellectum. Et (quod caput est) potest ipsi voluntati imprimere, & in ea propriè efficere affectiones supernaturales non liberæ, & suauitatem, quæ moraliter attrahat voluntatem ad liberum consen-

sum. Accedit quòd hic modus prædeterminationis in multis est proprius Dei ex parte actuum, ad quos pie mouit, scilicet honestos, & supernaturales ordinis, ad quos nulla creatura potest perfectè inclinare etiam moraliter, nisi ut instrumentum Dei. Secundò in modo directo & per se vique influendo immediatè in ipsimet principis spiritibus animæ illuminando, & affectionibus sanctis imbuendo illa. Tertiò in modo remouendi impedimenta, & auertendi cogitationes contrarias, quod multum refert ad moralem hanc determinationem de qua tractamus. Sic ergo explicata & probata assertio extra controuersiam est, ut existimo, neque in ea difficultas alicuius momenti occurrat.

Dico tamen tertiò, hanc prædeterminationem moralem non esse simpliciter necessariam ad singulos actus supernaturales voluntatis libere efficiendos. Ita docui in citato loco lib. 3. de auxiliis, & fundamento tacto in capite præcedenti; quòd si hæc gratia esset necessaria, qui illam non reciperet, non haberet auxilium sufficiens. Consequens est falsum; ergo. Sequela probatur ex principio læpè repetito, quòd auxilium sufficiens includit auxilia necessaria; præsertim ea, quæ sunt simpliciter præuenientia, & ad actum primum pertinentia, cuiusmodi sunt omnia excitantia auxilia. Minor constat, quia aliis omnes peccatores, qui ideo non conuertuntur, vel non agunt poenitentiam, quia non recipiant neque sentiunt vocationem adeo efficacem, ut moraliter eos determinet, & vehementer inclinet, etiam illam vocationem habeant, quæ illos ita considerare faciat, ut eos indifferentes constituat ad plene delibendum, excusarentur à culpa, quia omnis qui non recipit auxilium necessarium excusationem habet sufficientem: comitens autem est planè falsum, ut constat.

Aliter eadem ratio explicatur & confirmatur assertio, quia hæc determinatio moralis in gradu declarato non fit per quamcumque sufficientem excitationem, sed per abundantem, & moraliter vehemens, nam in omnibus rebus moralibus experimur hæc duo esse valde diuersa, & voluntatē non determinari moraliter à quacunque sufficienti motione, sed oportere illā esse abundantē, vel etiā vehementē, ut in petitione non qualibet preces, quæ sufficienti ad imperandum determinant moraliter voluntatem eius, qui rogatur: preces autē importunæ determinant, & quodam modo cogunt. Idem est de consilio, de motione obiectorum sensibilibus & de qualibet tentatione intelligendum, in excitationibus gratiæ: nam per eas mouet Deus voluntatem modo illis accommodato; ergo non determinat illam moraliter, nisi per copiosum, & superabundans auxilium excitans. Auxilium autem abundans non est simpliciter necessarium ad singulos actus pietatis, ut est per se notum, tum quia ad agendum non est per se necessaria virtus summa, aut excedens, tum quia superabundantia auxilia, nec dantur, nec offeruntur omnibus, neque est in hominis potestate, regulariter loquendo, habere has vehementes excitationes, sed Spiritus sanctus illas diuidit prout vult; ergo simili ratione auxilium moraliter prædeterminans non est simpliciter necessarium.

Tertiò explicatur aliter, quia omnia auxilia excitantia quatumuis magna sint, solum constituunt potentiam in actu primo respectu consensus, & quantum est ex se, possunt tempore præcedere ipsi consensus, & in hoc legitimo sensu rectè dicuntur dare potestatem agendi liberè: at verò intra latitudinem potestatis potest esse maior, & minor facultas, & cum maiori, vel minori inclinatione ad alteram partem cum sufficienti iudicio & inclinatione voluntatis: ergo illa potestas

stas sufficit ad perficiendum actum si homo velit; ergo altera moralis determinatio non est simpliciter necessaria.

Respondent aliqui hæc argumenta probare, hanc prædeterminationem moralem non esse necessariam ex natura rei, nihilominus esse necessariam ab intrinseco ex ordine diuinæ prouidentiae, quia aliàs incertus esset eius ordo & fallibilis. Sed hoc non rectè dicitur, tum quia nullibi est nobis reuelatum, vel aliqua graui authoritate traditum ex Dei ordinatione maius & abundantius auxilium esse necessarium ad singulos actus, quam ex parte actus, vel ex parte liberi arbitrij necessarium sit, tum etiam, quia si minus auxilium sufficit, & multis datur, cur de facto non multi cum illo solo operabuntur si Deus non impediat. Quod si Deus impediat, iam illis non imputabitur, præterquam quod absurdissimum est id Deo attribueretur. Tum præterea, quia si intercedat prædeterminatio physica, illa sufficit ad infallibilitatem prouidentiae: si verò physica prædeterminatio tollitur, moralis per se non sufficit ad infallibilitatem prouidentiae, nisi aliunde intercedat præscientia omnino infallibilis futuri, si talis motio Dei præcedat: quod si hæc præscientia supponitur & admittitur, non erit necessaria prædeterminatio moralis ad infallibilitatem prouidentiae; ergo propter ordinem prouidentiae non est necessaria talis prædeterminatio moralis. Denique ipsa experientia & communis modus sanctè operandi fidelium, ostendit non semper homines in actibus duci his vehementibus impulsibus, sed interdum à Spiritu sancto sic moueri, interdum relinqui, vt ordinario modo exstentur per fidem, & deliberent cum integra indifferentia, imò interdum cum repugnantia naturæ, vel aliarum difficultatum, sine tanta gratiæ impulsione. Non est ergo illa determinatio necessaria, per se loquendo, sicut sit vltissima, & aliquando propter indispotionem subiecti possit esse moraliter necessaria, vt in citato loco latius dixi.

Neque video cur defensores physice prædeterminationis de hac assertionem sint solliciti, aut illi contradicant: nam si auxilium aliquod præueniens non excitans, sed adiuuans prædeterminat physice voluntatem, illud satis superque erit ad generalem, (vt ita dicam), efficaciam auxilij simpliciter necessarij ad singulos actus: ipsum autem auxilium physice prædeterminans non potest simul prædeterminare moraliter, quia non mouet morali modo, cum non sit actus vitalis, sed pura motio, vel qualitas passivè tantum recepta in hominis potentia, & per physicam determinationem, ac efficientiam illam trahens ad efficiendum; ergo ipsummet auxilium physice prædeterminans, si datur, non prædeterminat moraliter. Neque etiam necessario supponit prædeterminationem moralem, quia, vt ipsi dicunt, collatio, & operatio talis auxilij non pendet ex tempore, loco aliisque circumstantiis, neque ex aliqua dispositione liberi arbitrij; ergo euanis non præcedat in arbitrio prædeterminatio moralis, dummodo obiectum sit sufficienter propositum, poterit satis prædeterminari voluntas per solum auxilium adiuuans prædeterminans physice ergo in illorum sententia non est, cur sit hæc prædeterminatio moralis necessaria, cum physica sufficiat, semperque necessaria esse credatur.

Nec fundamentum contrariæ sententiæ probat necessitatem prædeterminationis, sed solum necessitatem præmotionis moralis; de hac enim motione loquuntur Scripturæ, cum dicunt, Deum inclinare corda, immutare, conuerrere, & facere vt velint, &c. nã hæc omnia per morales motiones præstat Deus; & per illas incipit in nobis operari, &

cum illis perficit in nobis quod intendit, etiam si ex parte excitantis gratiæ nihil addat, sed tantum ex parte adiuuantis. Accedit quòd dicti authores has omnes locutiones de motione physica per gratiam præuiam adiuuantem, & prædeterminantem interpretantur. Nos autem ostendimus illa omnia fieri per vocationem congruam, quæ prædeterminationem moralem non requirit, & à physica longe dissidet: nulla ergo prædeterminatio ex illis locis probatur. De illis autem principiis quæ ad inducendas rationes in testimoniis fundatas adducuntur, dico, primum quidem verum esse, nam illæ locutiones, vel omnes, vel quamplures earum propter vocationem efficacem dicuntur: male autem inde inferitur, illa dicta esse propter prædeterminationem: nam potest esse vocatio efficax sine prædeterminatione physica, vel morali, vt iam dixi, & in sequentibus latè exponam.

Alterum autem principium falsum est, nam gratia excitans siue sufficiens, siue efficax, dat actualem inclinationem, & non habitualement, quia talis gratia in actibus vitalibus consistit, vt dixi, vt est actualis cogitatio sancta, quæ motum aliquem in affectu mouet, qui motus actualis inclinatio est non habitualis. Nec refert quòd auxilium sufficiens dicatur dari per modum actus primi, seu potentiae, nam id intelligendum est, non quantum ad substantiam actus, (vt sic rem declarem), sed quantum ad causalitatem respectu consensus liberi. Ad eum modum quo intentio finis dici potest virtus, & quasi actus primus ad electionem mediorum, & assensus præmissarum respectu assensus conclusionis, & amore rei possesse respectu gaudij, & sic de alijs. Et in vniuersum causalitas moralis per actus secundos fit, vt per consilium, petitionem, vel aliquid huiusmodi, & nihilominus ille actus secundus & præuius, & inducens ad aliã, dicitur esse per modum virtutis & actus primi. Cum ergo Deus inclinat corda per gratiam excitantem, actualè quidem præbet inclinationem, ineliberatam tamen, ac necessariam quæ respectu actus perfecti & deliberati per modum actus primi comparatur.

Ad alias tres actiones non esset necessaria nobis responsio, quia procedunt ex fundamento physice prædeterminationis, quod falsum esse credimus, & nihilominus addimus etiam, ex illo non rectè procedere, nam prima ratio solam probat ante physicam prædeterminationem debere præcedere moralem præmotionem, & inductionem per diuinas illustrationes & affectiones, vt in ipsa forma argumentandi concluditur: non tamen inde inferitur hanc inductionem debere necessariò esse tantã, vt gradum moralis prædeterminationis attingat. Nam, vt voluntas connaturali modo operetur, minor inductio sufficit, imò tunc quodammodo liberius operatur, quando minus vehementer inducitur, vt patet in eo, qui ex vehementi passione peccat, minus enim liberè peccat, quam qui suo arbitrio, sine passionis vehementi tractione delinquit. Eadem ferè responsio est ad secundum: nam, vt Deus moueat voluntatem hominis iuxta naturam eiusdem voluntatis, satis est quòd præcedat moralis motio, & sufficiens inductio: quòd si hoc non sufficit, vt saluetur postea libertas in prædeterminatione physica, neque etiam sufficit quòd præcedat moralis prædeterminatio: nam ante prædeterminationem physicam maior libertas cernitur in voluntate ad vtrumque, & nondum ad alteram partem moraliter prædeterminata, & post impressam prædeterminationem physicam æqualis necessitas physica ex illa oritur, siue moralis prædeterminatio præcesserit, siue non; quid ergo conferre potest talis prædeterminatio moralis, vt physica non tollat libertatem? Ad tertium

tium negatur consequentia, quæ quoad prædeterminationem physicam supra in fine libri tertij tractata est; ostendimus enim ibi non esse necessarium ut Deus omnes causas physicæ agentes, etiam si liberæ sint, prædeterminet physicè, sed solum ut eas physicè adiuvet cum eis coëfficiendo, ut licet ibi solum de prædeterminatione per generalem concursum tractaverimus, eadem est ratio de quacumque alia, ut in sequentibus videbimus. Quoad alteram verò partem de prædeterminatione morali, etiam non est bona illatio, quia ut Deus sit causa moralis nostrorum operum moralium, sufficit quod ad illa moraliter moveat, & inducat quod facere & sufficienter, & efficaciter potest sine prædeterminatione morali, ut sæpe iam dixi.

CAPVT IX.

Propositur opinio affirmans efficaciam auxilij præiij consistere in physica prædeterminatione voluntatis per modum actus primi, ac proinde talem prædeterminationem ad omnes & singulos actus pietatis esse necessariam.

Hanc opinionem in hoc titulo præsentis capituli contentam tenent in sententia plures ex recentioribus Thomistis, nam licet interdum in verbis differant, retamen vera in tribus propositionibus conveniunt, ex quibus eadem assertio sequitur, in qua rei difficultas consistit. Prima est ultra id totum quod ex parte gratiæ excitantis necessarium est ad vocationem ut homo possit converteri vel pie operari ut actu convertatur, vel consentiat necessarium esse ut Deus sola sua voluntate & potentia imprimat in hominis voluntate novam entitatem, quam vocant motionem virtuosam & efficacem, quæ non est actus vitalis, nec fit à voluntate, sed Deus solus illam efficit voluntate merè passivè se habente ad receptionem eius. Secunda est quod hinc sequitur receptionem huius motus omnis non esse liberam voluntati, sed Deum pro solo suo arbitrio illam dare, vel negare, quia nec potest esse in se immediatè libera voluntati, cum ab illa non pendeat effectivè, sed voluntas merè passivè se habeat in illius motionis receptione, quod est contra rationem actus proximè liberi, ut in primo prolegomeno ostensum est, neque etiam libera est remota in aliqua dispositione libera voluntatis, quia talis libera dispositio requirit similem motionem præiijam, & ita sistendum est in prima, quæ sine tali dispositione detur.

Tertia propositio est, hanc motionem esse per se & physicè actiuam consensus voluntatis, non quidem solum, sed cum ipsa voluntate, ita tamen, ut in usu actiuitatis suæ non subdatur voluntati, sed illam potius sibi subdat, adeo ut illa motione semel posita in voluntate, non possit voluntas illi resistere, solum actum sustinendo, nedum oppositum eliciendo, imò nec Deus ipse possit facere, ut posita illa motione in voluntate, non statim voluntas eliciat & exerceat actum, propter quod illa motio datur, quia hæc est natura talis motionis, ideoque vocatur auxilium de se & natura sua efficax, quod ad hunc finem datur, & non potest esse sibi contrariū. Ex quibus principiis aperte sequitur assertio posita, nimirum hoc auxilium per modum actus primi determinare physicè voluntatem ad unum actum, & ad exercitium eius prius natura, quam illud eliciat, & nihilominus aiunt illum elicere li-

berè, quia sub illa motione manet semper potentia voluntatis ad non habendum illum actum, & tota illa determinatio sit modo accommodato libertati voluntatis.

Hæc sententia solet in primis tribui Gregorio & Capreolo, qui ex parte quidem illam docuerunt, non tamen omnino, ut supra lib. 1. retuli, quia non per se, neque ex propria ratione actuum supernaturalium talem motionem postulant, sed solum in lapsa natura, ob illius defectum & impotentiam ad bene operandum, & quoad hanc partem, ibi illam impugnavimus; quantum ad id verò, in quo cum prædicta opinione consentit, in hunc locum illam remisimus. Sententia ergo quam proposui, recentior est, eamque magna asseveratione defendunt Theologi sacri Ordinis Prædicatorum, & aliqui dicunt incepisse temporibus Magistri Soto, qui eam indicavit lib. 1. de natur. & capite 16. ibi tamen nihil reperio quod ad causam pertineat; imò cum tres ordines auxiliorum, seu donorum distinguat, in primo ponit eos motus, qui à Deo fiunt in nobis sine nobis libere consentientibus; non tamen sine nobis vitaliter coëfficiantibus, ut expressè declarat: in secundo ordine ponit actus gratiæ quos Deus principaliter facit in nobis, non tamen sine nobis libere cooperantibus; in tertio ponit gratias, quas Deus solus facit in nobis sine vlla proxima & immediata coëfficiantia nostra, licet in adultis liberam dispositionem supponant, & in hoc ordine habitus per se infusos constituit. Nullum verò auxilium actuale ponit quod vitalis actus non sit, vel quod à Deo solo fiat in homine passivè tantum se habente, & nullo modo se ad illud disponente. Determinationis autem, vel prædeterminationis, quæ à solo Deo fiat, nullam mentionem facit, imò semper attentissime dicit Deum ita movere hominem, ut potestatem resistendi nobis relinquat. Et quamvis dicat Deum prius naturā hos movere, illud longè diversum habet sensum. Præterquam quod in eo capite multa habet Soto, quæ illi prædeterminationi repugnent, ut in fine lib. 3. retuli, & in sequentibus dicam.

Primus ergo ex recentioribus Thomistis, qui sententiam illam magis insinuare cepit, videtur fuisse Medina 1. 2. q. 10. art. 4. ubi generaliter de concursu Dei cum causa libera disputat; quædam tamen 109. art. 2. in fine generalius loquitur, & specialiter agens de auxilio gratiæ art. 10. dub. 2. in tertia assertione, & in fine articuli ad 3. & ultimam dubitationem hanc sententiam indicat; nunquam tamen vitur verbo prædeterminandi, aut prædeterminationis. Neque declarat quid addat auxilium efficax supra sufficiens. Imò licet dicat addere aliquid, nihilominus in illa vltima dubitatione ait, In eo qui sequitur vocationem esse aliquem modum, vel ablationem alicuius impedimenti, vel aliquid simile notu cultum, quod non est in eo, qui similem vocationem non sequitur. quæ certè doctrina neque necessaria est, si prædeterminatio semper requiritur, neque cum illa rectè cohaeret, quia posita in vno prædeterminatione, & non in alio parum refert, quod in cæteris vocatio sit æqualis in vtroque, ut recentiores Thomistæ ingenuè fateantur, sicut infra videbimus. Magis igitur distinctè illam doctrinam tradidit Bannez. 1. p. quæst. 24. art. decimo tertio. dub. secundo concl. tertio. cum dubiis sequentibus, & qu. 16. art. 3. & 4. & qu. 23. art. 3. & 5. & omniam summam redigit 22. q. 10. art. 1. document. 3. Postea in defensionem eiusdem sententiæ integrum opus scripsit P. Franciscus Davila, ubi capite 15. 22. & 27. clariùs dicit hoc auxilium à solo Deo fieri in voluntate ipsa merè passivè se habente, & ex illo sequi consensum non tantum infallibiliter, sed